

quoque evenire arbitror, quod Sinarum nemo calculari morbo laboret, qui nostros Europæos sæpe torquet, ex eo credo, quod perpetuo frigidam potent.

Cum quispiam ad solemne epulum invitatur, pridie, vel etiam pluribus diebus ante convivii diebus, qui alterum invitat, libellum mittit ex iis, quos supra descripsimus. In eo, præter invitantis nomen, ut supra, solempni formula paucis verbis comprehensa, eleganter & urbane ait, qui evocat, tenuisse se ex oleribus apparasse convivium, & scyphos suos eluisse, ut dicto die, & hora (quæ fere sub noctem est) doctrinam ejus, quem invitat, audiat, & ab eo aliquid discat: inde rogat, ut ne hoc se favore dedignetur. In externa facie libelli ad ejus longitudinem additamentum è rubea charta affigunt, ut supra, in eo honoratius invitati nomen (nam Sinæ pluribus nominibus